

31

# ORATIO

---

QVA  
GRATIAS

## SOCIETATI LATINAE QVAE IENAE FLORET

---

QVOD  
SODALEM  
ESSE IVSSERIT  
AGIT  
IOANNES FRIDERICVS  
HAVSWALDV

AVGVSTISSIMI POLON. REG. ET ELECTOR. SAXON  
A CONSILIIS LEGATIONVM

IENAE

LITTERIS SCHILLIANIS

CIC 10 CC LIX



O R A T I O

GRATIAS

SOCIETATI LATINAE

QVAE IN NVAE PROCLV

640

S O D A L I E M

ESSÆ IVASSERIT

AGIT

IOANNES RIBERIUS

HANSAE


VACANSIÆM LONDONIÆ ET ELECTORÆ SAXON

A CONSILIIS LEGATIONUM

LENAE

1711. 12. 22. HILDEBRAND

1711. 12. 22.



VIRI  
ILLVSTRES EXCELLENTISSIMI  
AMPLISSIMI DOCTISSIMI Q  
PATRONI FAVTORES ET AMICI  
OMNI PIETATE OBSEQVIO  
ET OBSERVANTIA SVM M V M  
COLENDI

SAEPE miratus sum, cur societas tam illustris, tot  
tantisque viris eruditis conspicua, simulac caput  
erigere, et in lucem prodire cœpit, non, vt aliæ,  
bonarum nomen artium, scientiarum et inscri-  
ptionum, aut eiusmodi aliquid pomposum sibi  
arrogauerit; sed in eo fatisque rebus suis  
consultum esse, crediderit, vt latine linguae cul-  
turam publice præ se ferret, nomen, quod scholam fere sapit, ma-  
nes redolet, et alto a plerisque supercilie contemnitur. Ita  
enim

A 2



enim more comparatum est, ut, qui academias relinquunt, optimarum artium officinas, studia sua, quamvis cruda, in aulam conferant, in forum protrudant et, moribus ad ingenium seculi et Gallorum in primis elegantiam compositis, aut nitide pingendo litteras, aut calculum ducente solide, ad summum versus pangendo, vernacula compositos lingua, quos non patronus tantum intelligat, sed et serui eius in atrio legant, aliisque leuioribus eiusmodi specimiibus superiorum benevolentiam, aequalium amorem sibi conciliare studeant, parum de eo, quod aliunde ex Latio repetitur, folliciti. Postea vero, quam melius cum animo meo meditatus sum, quænam instituti vestri ratio potissimum est, in mentem venit sollemnis illius formulæ, qua vi olim Romani consules ea tempestate, qua hostem irruere, vel ciuem, in propria fœuentem viscera, ruinam minari, vel aliam ciuitati calamitatem imminere animaduertebant, adhortabantur sedulo: *videtur, ne quid detrimenti caporet res publica.* Iam quid, quæso, est, quod maius ciuitati cuidam reique publicæ detrimentum afferre possit, quam linguam ciuitum corrumper, et in desuetudinem abire, cuius iacturam, imperii ruinam sensim post se trahere tam verum est, quam quod verissimum? Videamus id in Græcia, quæ parens liberalium artium in eo non parum desudauit, ut orationis suæ elegantiam exteris, Romanis præcipue, quibuscum de summa rerum certabat, de meliori commendaret, et cum linguae ingenio animos quoque, Græce doctos, egregie sibi conciliaret: videmus idem in Latio, cuius proceres, deuastata Græcia atque deleta Carthagine, Græcorum linguam eruditis in deliciis relinquebant, ipsi Romanam cum armis in Hispaniam, Galliam, aliasque terras deportabant, ut quorum fortitudinem arma superare non poterant, eorum animos lingue facultas mansuetos redderet ac dociles. Exploratum habemus in Gallia, quæ, rerum suarum præ ceteris studiofa, non belli solum tempore omnes gentes virtute antecellere, et ynam post alteram prouinciam sibi subiugare conatur; sed et tem-

tempore pacis in eo omnem operam, omne studium collocat, ut  
 de educatione liberorum, vel a teneris ad gustum Gallorum su-  
 scienda, exteris persuadeat, suamque linguam maternæ ubi-  
 que preferendam curet. Neque enim laude sua in hoc defrau-  
 dandi sunt Galli, quod cum lacte quasi amorem sui inspирent  
 Germanis, quos suos faciunt a pueris, bene gnari, cum lingua  
 et mentem mutari sæpius, adeo ut verear, ne nimis sero cum  
 damno experiarur posteritas, magis a Gallis metuendum sibi  
 fuisse pacis, quam belli tempestate. Ad vos igitur ut reuerta-  
 tur, vnde mea profluxit oratio, **VIRI OMNI LAUDIS GENE-**  
**RE PRAESTANTISSIMI**, quibus curæ cordique fuit salus eru-  
 ditorum, non melius prouideri eidem posse existimasti; quam  
 si septo quasi hominum, liberaliter instructorum, rempublicam,  
 at paruam, pro dolor! nostra ætate, ita ut septo facile inter-  
 cludi queat, circumseribatis, cuius extra pomeria nulla doctrinæ  
 gloria, nullus honoris gradus, nulla eruditis salus. Neque id  
 iniuria. Quodsi enim sine legibus iuris consultus, sine codice  
 theologus, contra Hippocratem medicus loqui merito erubescit,  
 qua fronte, quo vultu contendere hi omnes a nobis poterunt,  
 ut de ipsorum eruditione persuaderi nobis patiamur, si habent,  
 cur erubescant, vbi armis latinis dimicandum foret, propter-  
 ea quod verentur subinde, ne in Priscianum impingant, dum  
 fumum nobis vendunt? Sic erat in fatis! **VESTRVM** erat,  
**LINGVAE ROMANAЕ VINDICES AC STATORES**, rem eru-  
 ditorum fere deperditam, cunctando licet, Fabiorum more re-  
 stituere: **VESTRVM** erat, Latium pristino suo et candori et  
 splendori reddere: **VESTRAE** demum gloriae hoc seculo, quo,  
 qui humi adhuc repunt, altius cum Icaro evolare nituntur, re-  
 liecum erat, nomen impertire eruditis, et a sanctuario Mineruæ  
 prohibere profanum vulgus, cui in vestibulo consistendum erat.  
 Abeant nunc cum ignominia omnes, qui non nisi in *practicis*,  
 quas iactant stolidæ, artibus versati, quasi *theoreticis* ceu basi  
 haud nitantur, qua collapsa ædificium ipsum corruat, necesse  
 est,



est, qui, inquam, cum opprobrio profligati, ex Latio in aulas confugiunt, in fora prolabuntur, ibique Gallica sua, Italica, aut Hispanica crepant, matrem honestissimam prostituentes publice, dum meretricio amore prosequuntur filias, et, si numero eruditorum haberi velint, cum milite, cui idem cum Alexandro magno nomen erat, aut nomen mutent, aut linguam. Erit, credite mihi, erit sua semper laus eruditis, manebit quemque suus post funera honor, quamdiu **VOBIS** volupe fuerit, castitatem sermonis eruditorum, hoc est latini, conseruare integrum, cuius vinculo non Germaniae solum, sed omnium nationum homines docti intima cognatione atque amicitia inter se coniunguntur. Abeant igitur, et erubescant, Palladis templum intrare, aut eruditorum consortio in posterum haberi, qui Latium abhorrent! Fugite, et procul hinc, procul estote omnes profani, ignari omnes! Verum, dum alios prohibere ab omnis doctrinæ sacrario labore, vereor, ne idem mihi accidat, quod arrogantibus illis Iudæorum doctoribus, qui, dum alios arcent a via salutis, ipsi aditu præcluduntur, attonti, ac pudore suffusi. Siue enim ad linguae latinæ copiam, dicendique facultatem; siue ad liberalium, quas vocant, artium, aliarumque disciplinarum apparatum mentem meam conferam, quibus instructum esse decet, qui consortium **VOBIS** cum inire desiderat, non video, qua ratione tantam expectationem sustinere queam. Evidem non nego, quod dissimulare nullo modo possum, me, iam inde ab ineunte ætate musarum dulcedine abreptum, earumdem flagrante amore, et, ut ingenuæ fatear, quemadmodum natura mea fert, amo adhuc artes ex Græcia Latiane oriundas, cum quibus voluptatem nullam confero, quibus, quam alii fortunam admirantur, eam contemnere, paucis adquiescere, mihi ipsi sufficere, aliorumque commodis, quantum in me est, inseruire didici; sed, vti hæc omnia nihil nisi bonam voluntatem arguunt, ita, quos quantosque in his studiis progressus fecerim, aliorum est dijudicare. Neque enim mihi temere

mere aliquid arrogo, aut assentor libens, aut ita gloria trahor,  
 vt falsae opinionis errore, quod video multis contingere; oble-  
 ßer. Ipsi videritis, VIRI DOCTISSIMI, OMNIQVE LAVDE  
 MAIORES, an ex vna, quam e naufragio seruauit, tabula, quam-  
 que in honorem amici, tanquam gratæ memoria tesseram, com-  
 posueram, liceat iudicium ferre de meis profectibus, et augu-  
 rari, in posterum quid præstare possim. Ipsi videritis, futu-  
 rumne forsan sit aliquando, vt vos peniteat, fidem hac in re  
 habuisse GVNTHERO integerrimo, quam in dubium vocare vii  
 impium foret, ita in hoc vnico suspecta videri poterat, ideo  
 quod, qua in omnes, quos primo statim intuitu ad se rapit, sic  
 humanitate, quamuis noueritis; amicitia tamen, ne dicam propin-  
 quitate, me eidem coniunctum esse, prorsus ignotum vobis esse  
 poterat. Amat quisque suos, et est omnibus a communi pa-  
 rente natura insitum, vt amari velint a sui similibus, et in ani-  
 morum societate et coniunctione multum ponant; adeoque fieri  
 facillime potuit, vt voluntati meæ, quam cum sua eamdem es-  
 se vbiique deprehendit, vires quoque respondere ac progres-  
 sus, crediderit, atque in hac fiducia, quæ ipsius animo insidet  
 omnis doctrinæ copia, eadem et me imbutum, publice professus  
 fuerit. Et est hoc animi liberaliter instructi, spectare volun-  
 tam in primis, eamque ipsa re potiorem ducere. Ego qui-  
 dem gaudeo, tantum me bonæ meæ voluntatis præconem inue-  
 nisse. Quis enim amari ab eo, quem amant omnes, tanti non  
 æstimet, quanti ea, quæ summa sunt? Gaudeo, quod tam be-  
 nigne vos de studiis meis sentire video, et lætor. VESTRVM erat,  
 animi mei sensa excutere, ac penitus explorare, effetne persona,  
 quam imposituri eratis, apta mihi et admodumata. Verum ne  
 in dubium ipse reuocem fidem, quæ tantum commodi mihi at-  
 tulit, VIRI omni virtute ac laude præstantis, aut contra eos  
 disputare videar, quibus moderandæ VESTRAE societatis publica  
 cura demandata est, facile patior mihi hoc a vobis persuaderi:  
 amplector VESTRAM benignitatem, qua commoti incitare vo-  
 luitis



Iuistis animum litterarum amore iam inflammatum, gaudeo vehementer mihique gratulor, quod, qua semper summa existimavi, ea mihi a **VOBIS** tribuuntur. Habeo campum **VESTRA** benevolentia, in quo doctrina, si in me vlla est, excurrere possit, et modo huc, modo illuc exspatiari; atque ex limpidissimis Pieridum fontibus delibare, que et delectent, et sint ex vnu. Videatis, **VIRI OMNI HONORIS ET OBSERVANTIAE CULTVS** **SUSPICENDI**, qua voluptate me affeceritis, quo vobis beneficio deuinxeritis. Restat vnicum adhuc mihi, quo fungendum est, officium, vt, quas referre nequeo, gratias saltem agam; in qua cogitatione dum versor, hoc opus, hunc laborem esse satis intelligo. Etenim sicuti nunquam ego **ILLVSTRI GVNTHERO** possum gratiam referre, vt meritus est de me; ita opis nostræ non est, grates dignas **VOBIS** persoluere, **VIRI ILLVSTRES, EXCELENTISSIMI, DOCTISSIMI** que, quounque hic loci commoror, non cum iis, qui ad rostra sedent cum Demosthene, aut Cicerone: eorum castra sequor, qui Areopagitarum more ad clavum sedent *commissionis Cæsareæ*, quam strenue exsequuntur multo stipati milite. At silent inter arma leges, silent inter litigia muse formidolosa nimium, pacisque amantes. Adeoque, quum teste **SENECA** ad reddendam gratiam opus sit et tempore, et facultate, et adspirante fortuna, veniam dabitis, quod gratias agendi partes in commodius tempus, non procrastinandi gratia, sed necessitate coactus, differam, et pro facultate voluntatem **VOBIS** offeram. Ea enim concedam nemini, et, quamvis disiuncti satis longe simus, et congreendi colloquendique facultatem interualla locorum impediant; meus tamen vobiscum animus erit, quoties oculorum aciem in literas publicas, quas ante aliquot dies acceptas veneror atque exosculor, impressaque ibi ad viuum Ciceronis effigiem, conuertam, conuertam autem saepius, cuius felicissima dicendi copia si mihi sufficeret, gratias, quas referre nunquam potero, certe dixissem.




00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300

3



KD18



# Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	Inches	Centimetres
1										1	25.4
2										2	50.8
3										3	76.2
4										4	101.6
5										5	127.0
6										6	152.4
7										7	177.8
8										8	203.2
9										9	228.6
10										10	254.0
11										11	279.4
12										12	304.8
13										13	330.2
14										14	355.6
15										15	381.0
16										16	406.4
17										17	431.8
18										18	457.2
19										19	482.6
20										20	508.0

B.I.G.

31  
T I O  
A  
C I A S  
I L A T I N A E  
E F L O R E T  
O D  
L E M  
S S E R I T  
I T  
R I D E R I C V S  
A L D V S  
E G . E T E L E C T O R . S A X O N  
L E G A T I O N V M  
• • • • •  
N A E  
C H I L L I A N I S  
C C L I X